

## Die Urkunden Karls des Großen, 277

In nomine sanctissimae et individuae trinitatis. Carolus divino nutu coronatus Romanum regens imperium ac per misericordiam dei rex Francorum et Longobardorum, serenissimus catholicus pacificus augustus, omnibus comitibus castaldiis seu cunctis rei publicae per provinciam Italiae nostra mansuetudine praepositis sempiternam in domino salutem. Noverint omnes et singuli, quemadmodum venerabilis Petrus Oldradus ecclesiae Mediolanensis archiepiscopus nostram adiit celsitudinem petens, ut pro amore dei et salute animae nostrae omnia sanctae Mediolanensis ecclesiae in honorem sancti Ambrosii confessoris Christi et sanctae ecclesiae dicatae a praedecessoribus nostris imperatoribus atque religiosis omnibus a felicis Constantini Magni et aliorum imperatorum recordatione collata, postea a perfidia regum Longobardorum turbata et sublata nostra imperiali auctoritate restituere, redintegrare et confirmare vellemus. Cuius piaee postulationi assentientes eiusdem beatissimi Ambrosii episcopi et Christi confessoris implorandam semper opem statuentes hoc decretum et praeceptum fieri mandavimus Petro Oldrado archiepiscopo, quo ei concedimus et successoribus eius legitime intrantibus, quidquid ad nostram iurisdictionem pertinere in urbe Mediolani videtur, terras scilicet atque omnem districtum, domos publicas murumque ipsius urbis cum fisco et teloneo integro et cum omni iure civili intus et foris in circuitu usque ad fines. Cortes etiam ipsius civitatis ac civitatem propriam, castella villas mansos, servos et ancillas, criminos et criminas, domos possessiones piscationes campos montes silvas aquas aquarumque decursus et paludes habitas et possessas a praedecessoribus eius archiepiscopi ante perfidiam et tyrannidem regum Longobardorum atque omnia iura aliquo inscriptionis titulo seu investiturae adhuc donata et tradita, oblata seu praesentata sanctae Mediolanensi ecclesiae a quibuscumque imperatoribus seu piis hominibus donamus, concedimus, confirmamus. Item donamus venerabili archiepiscopo Petro et successoribus eius legitime intrantibus omnia, quae vocata sunt fiscalia, comitilia aut vicecomitilia, quae posita sunt aut constructa in comitatu Mediolani tam intus quam foris in circuitu usque ad fines praedictos suos, ita ut venerabilis Petrus Oldradus archiepiscopus et successores eius legitime intrantes potestatem illic habeant per se aut per missos suos iudicandi, distringendi, placitum tenendi, iura ligandi, iura solvendi et quidquid eorum utilitas et commodum tulerit faciendi, ad incrementum et honorem ipsius sanctae ecclesiae Mediolanensis in perpetuum duraturae. Praecipientes igitur iubemus, ut nullus noster dux marchio comes vicecomes sculdasio gastaldius procuratorve ullus hanc sanctam dei ecclesiam inquietet aut mansionaticum faciat, toloneum districtum placitum aut aliam quamlibet publicam functionem exigat. Sin minus, sciat se soluturum auri optimi libras ducentum, centum fisco nostro et centum ipsi archiepiscopo. Quod ut verius credatur et diligentius observetur, manu propria roborantes annuli nostri impressione iussimus insigniri et convaliari.

Dat. Dertonae kal. mai anni incarnationis domini nostri Iesu Christi DCCCIX, indictione III, imperii autem nostri anno IX, regnorum vero nostrorum XXXXII.

Longinus cancellarius advicem Odonis episcopi et archicancellarii domini nostri Caroli magni et invictissimi imperatoris semper augusti rogavi et subscripsi.